

*Doc. 9 (Scriptum est eidem
etc. [iustitiario Basilicate].
Fidelitati tue sub pena unciarum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 9 (Scriptum est eidem
etc. [iustitiario Basilicate].
Fidelitati tue sub pena unciarum...)*

1277-05-27

Scriptum est eidem etc. (iustitiario Basilicate).

Fidelitati tue sub pena unciarum auri quinquaginta firmiter et expresse precipimus, quatenus statim receptis presentibus omni prorsus mora et occasione cessantibus, facta prius diligenti extimatione in testimonio puplico pro quanta quantitate pecunie fieri poterit furnus unus habilis ad coquendum panem pro ore nostro et domus una habilis pro faciendo pane ipso, iuxta provisionem Petri et Colini de furno panecteriorum et familiarum nostrorum vel alterius ipsorum, quem ad te propterea destinamus, in qua extimatione ipsos panectorios vel alterum ipsorum volumus interesse, factis de extimatione huiusmodi duobus scriptis puplicis consimilibus, continentibus formem presentium, nomina et cognomina extimatorum, et quantitatem pecunie pro qua predictus fornus cum eadem domo estimabuntur posse fieri, in quibus preter sigillum iudicis, qui interfuerit extimationi predictae, apponantur sigilla ipsorum panecteriorum vel alterius eorumdem, quorum unum magistris rationalibus magne curie nostre sine mora transmittas. Reliquo tibi retento, domum ipsam cum furno ad extaleum si fuerint aliqui qui domum et fornum ipsos veliut ad extaleum fieri facere, pro illa quantitate pecunie pro qua extimabuntur fieri posse vel pro minori, quod solum in Melfia et in Venusio facias subastare, quod si ad extaleum concedi non potuerit cum expensis curie nostre de quacumque pecunia officii tui que est vel erit per manus tuas et in defectu ipsius de pecunia presentis generalis subventionis in terris iurisdictionis tue imposita et taxata, non obstante mandato aliquo huic contrario tibi misso, per quod presentis mandati regii executio impediri valeat vel differri, extra castrum nostrum

Lacuspensilis, in loco quem panecterii ipsi vel alter ipsorum aptum et ydoneum ad hoc providerint, construi fieri et compleri facias sine mora. Recepturus de hiis que propterea dederis ad tui cautelam ydoneam apodixam, et nichilominus quantitatem pecunie, ad quam extimatio ipsa ascenderit, si opus ipsum ad extaleum concesseris et quibus et pro quanta pecunie quantitate, et totum processum tuum, quem in hiis habendum duxeris, celsitudini nostre nec minus magistris rationalibus magne curie nostre particulariter et distincte in continenti per litteras tuas scribas. Et si predicto modo ad extaleum concedetur, recipias ab extalleriis ipsis ydoneos et sufficientes fideiussores de opere ipso studiose et bene, secundum extimationem predictam usque ad certum et competentem terminum, quem eis prefixeris faciendum, et totaliter per complendum quorum fideiussorum nomina similiter per predictas litteras tuas scribas.

Datum Venusii XXVII madii V indictionis (1277).